

conscientiæ, ac prœinde foro externo Superioris præjudicare non potest, ut dictum est in *num. 3315.*

Quod si elapso periculo, Superiori, puta Papæ, aut Episcopo respectivè, non se præsentet, cum commodè potest, ipso jure in censuram reincident, *ex cap. Eos qui, de Sent. Excom. in 6. lib. 5. tit. 11. & ex Decr. Sac. Congreg. num. 3415. relato.*

3356. Quando verò quis absolvitur à reservatis virtute Bullæ Cruciatæ, Jubilæi, aut Privilegiorum Regularium, in casibus, pro quibus illa se extendunt, tunc, elapso periculo, non tenetur pro foro conscientie pro censura se præsentare; idque ratione Privilegii, quod supplet comparitionem; privilegii enim stat loco Superioris, & solum requirit satisfactionem partis, si sit pars læsa. *Vide num. 3367.*

3357. Periculum mortis est in femina primò paritura, aut quæ est experta partum difficilem; unde hæc potest ab inferiori absolvi, statim ac dolorum sentit initia. Item in bannitis, qui ubicumque impunè possunt occidi, & in iis, qui periculosum iter, aut periculosam navigationem de proximo sunt aggressuri; ii, quibus timetur de proximo amissio perpetuè usus rationis, aut loquelæ: Qui serviunt infectis peste: Qui incidunt in morbum, qui ut plurimum solet mortem afferre: Dammati ad triremes, si de proximo periculosam navigationem sint habituri. *Vide num. 3246. ad 3248.*

IN URGENTE NECESSITATE.

3358. **U**rgens necessitas est, cum quis nec est impeditus perpetuè, aut longo tempore, nec in articulo, seu probabili periculo mortis; est tamen in talibus circumstantiis, ut instet confessio, aut communio, & non habeat promptum Superiorem, sed Confessarium inferiorem. Talis est casus in puella, aut juvene simul cum parentibus Eucharistiam sumpturis, qui sine infamia, aut periculo notabilis damni, non possunt se retrahere. Et in similibus.

3359. In urgente igitur necessitate potest Confessarius inferior à casibus omnibus reservatis, etiam hæresis absolvere; indirectè tamen, ita ut penitens debeat cum reservatis non reservata adjungere, & tunc ab illis directè absolvitur, indirectè ab illis, adeoque tenetur postea se præsentare Superiori, aut habenti auctoritatem pro reservatis, non solum ad obediendum, verum etiam ut in foro conscientie absolvatur, tam à censuris, quam à casibus; ratio est, quia casus illi fuerunt solum indirectè absoluti; nam Confessarius inferior non habebat jurisdictionem super illis ut *num. 3121.* ad differentiam casus impediti, & articuli mortis, in quibus Episcopus, & respectivè Sacerdos in foro conscientie directè à reservatis absolvunt, quatenus Ecclesia tunc dat illis jurisdictionem ex iuribus adductis.

3360. Licet autem hæc sit communior sententia, quam sequor, *Diana part. 11. tract. 8. ref. 49.*

probabilem putat sententiam Dicastillo, nimirum in casu necessitatis posse Confessarium inferiorem directè penitentem à casu reservato absolvere, ita ut, cessante necessitate, non teneatur Superiorem adire pro peccato, ut ab eo in foro conscientie absolvatur, ut dictum est de articulo mortis; idque non quia Confessarius inferior possit tunc reservata absolvere, sed quia in tali necessitate, casus illi reservati non sunt: idque ex rationabiliter credita voluntate Superioris, quod nolit pro tali necessitate casus reservare; & ritè, quia ex jure *Trid. sess. 14. cap. 7.* reservatio faciendæ est in ædificationem, minimè in destructionem animarum; in destructionem autem esset, si in casu necessitatis, quo puellæ v. gr. instaret communio ob infamiam, aut notabile damnum, quod aliis timeret, & ad communionem ob casum reservatum non posset accedere.

3361. At à communi sententia recedere nolo, maxime ob *Decr. S. Congr. 7. Decemb. 1646. infra adducendum num. 3415.*

CONDITIONES TRES

3362. **R**equiruntur, ut quis absolvatur, non quidem pro peccatis, sed pro censuris reservatis, in casu impediti legitimi, & periculi mortis, nempe promissio de comparendo, modo dicto, de stando mandatis Ecclesiæ, & de satisfacienda parte, si quæ sit læsa. Cum verò quis absolvitur in urgente necessitate, requiritur promissio comparendi, etiam pro ipsis peccatis reservatis, ob dicta *num. 3359. Vide num. 3332.*

3363. Quæ onera Confessarius sub mortali tenetur injungere, antequam absolvat; quia est materia gravis per Sacros Canones requisita, ita ut sciens omittat monere, peccet mortaliter, licet validè absolvat, quia adhuc penitens ad illa tenetur.

3364. Pro censuris reservatis extra Bullam Cœnæ in foro Sacramenti, sufficit serâ promissio, juramentum verò solum existit pro foro externo. Idem dic de fideiussione. *Tamb. tom. 2. pag. 65. num. 16. & pag. 402. num. 3.*

3365. Pro censuris verò reservatis in Bulla Cœnæ, & pro delicto dantium causam interdicto, quando in periculo mortis conceditur illis Sacramentum Pœnitentiæ, requiritur juramentum. *Diana part. 5. tract. 9. ref. 23. vult, non requiri sub mortali. Fideiussio verò solum requiritur pro foro externo.*

3366. A pueris non est exigendum juramentum, *ex num. 3349.* quia non præsumuntur habere usum rationis ad dignitatem juramenti requisitum. Certè moriturò; aut habenti impedimentum perpetuum non est imponendum juramentum; quia esset frustraneum, & inutile.

3367. Per satisfactionem intelligitur restitutio pecuniæ, honoris, vel famæ; quæ parti læsæ debetur. Non venit tamen pœna pecuniaria, quæ fortè debetur fisco, Ecclesiæ, vel Notario, quia non sunt pars læsa.

Quia

3368. Quia autem non in omnibus casibus habetur læsio partis, non in omnibus est exigenda satisfactio; hinc in multis casibus, ut in casu hæresis, exigitur sola emendatio, & propterea solum requiritur promissio de comparando coram Superiore, & de stando mandatis Ecclesiæ.

3369. Quando impotentia ad satisfaciendum non solum est præsens, sed moraliter certò prævidetur semper futura, non est exigenda promissio de satisfaciendo; quia esset frustranea; bene verò, quando sit spes potentia.

3370. Impotentia satisfactionis contingere potest. 1. Ob impotentiam ipsius rei. 2. Ob dubium, quod virtutis de qualitate satisfactionis, quodque resolvi non potest. 3. Ob obstinationem partis læsæ, quæ non est contenta satisfactione rationabili sibi oblata, aut ob quid simile. Ita *Tamb. tom. 2. pag. 65. num. 15.*

3371. In percussione Religiosi pars læsa est ipse Religiosus. *Tamb. tom. 2. pag. 65. num. 14. Vericelli tract. 8. q. 20.* Leander, contra alios, qui volunt, quod sit Religio, seu Prælati; ratio est, quia ipse est percussus. Tum quia aliàs pars læsa etiam esset Ecclesia, & Pontifex excommunicans: hinc percussus satisfacere tenetur pro utroque foro ipsi Religioso.

DE POTESTATE REGULARIUM in reservata.

QUÆRES I:

3372. An Prælati Regulares possint absolvere suos subditos à casibus reservatis in Cœna Domini, etiam hæresis?

Certum est, Prælatos Regulares posse suos subditos, & Novitios absolvere ab omnibus casibus, sive ab homine, sive à jure reservatis Papæ extra Bullam Cœnæ, ut constat ex sequentibus iuribus, & privilegiis. Hoc præmissio pro solutione quaesiti, duæ sunt sententiæ.

3373. Prima sententia negat etiam de occultis, maxime hæresis. *Bordonus tom. 2. ref. 3. quest. 2. Sigismundus, Vecchius, & alii apud ipsum. Diana part. 1. tract. 5. ref. 6. part. 3. tract. 2. ref. 122. part. 6. tract. 7. ref. 63. part. 8. tract. 7. ref. 50. ubi in part. 3. cit. quoad alios casus ab hæresi non vult esse Judex, sed quoad hæresim expressè negat. Ratio est; quia Bulla Cœnæ revocat omnia privilegia, etiam titulo oneroso, & per viam remunerationis concessa, ut in *num. 3334.**

3374. Cui maxime pro hæresi addunt tria Decreta. Primum Sac. Cong. Episc. & Regul. 17. Nov. 1628. Jussu Urb. VIII. Secundum ejusdem S. Cong. 7. Decemb. 1646. Tertium est *Decr. S. Inquis. Rom. sub Innoc. X. 23. Maii 1652. confirmatum sub. Alex. VII. 1656. & publicatum Panormi per Edictum DD. Inquisitorum 15. Febr. 1657.*

3375. Secunda sententia affirmat, Prælatos

Regulares absolvere posse suos subditos ab omnibus casibus reservatis in Bulla Cœnæ Domini, & respectivè dispensandi, exceptis quinque: Videlicet, 1. Schisma, 2. Hæresis cum relapsu, 3. Falsificatio Litterarum Apostolicarum. 4. Delatio prohibitorum ad Infideles, & 5. Conspiratio in Romano Pontificem.

3376. Item excepta dispensatione super irregularitate orta, 1. Ex homicidio voluntario (supple tu) injusto, non casuali, sed ex proposito patrato, 2. Ex Bigamia (supple tu) vera, & interpretativa, minime similitudinaria; in hac enim dispensare possunt; quia est irregularitas ex delicto, & in ea etiam possunt Episcopi cum suis subditis dispensare, *ex cap. Sanè Sacerd. de Cleric. conjugatis, & cap. Qui Clerici, vel Poenitent. Vide infra de irregularitate, 3. Ex Mutilatione pariter voluntaria, & injusta, ex proposito patrata.*

3377. Hanc sententiam tumentur Suarez de Religione, tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 20. Coriolanus de Casibus refer. part. 1. sect. 1. art. 23. num. 6. Peyr. de Priv. Regul. in *Consl. Sixti IV. 6. 5. pag. 30. à num. 6. in Addit. ad *Consl. Sixti IV. num. 35. pag. 116. Baudouin in Theol. Mor. de Censuris, part. 2. dis. 3. tract. 2. q. 26. Toranus à pag. 22. ad 35. Amendolia tom. 2. in Addit. de anno 1698. Ubi se retractat à sententia negativa, quam in priori editione tenebat. Hasbenis in *Summ. Q. Regular. verb. Absolutio quoad fratres, uterque Rodriguez, Port. Villalobos, Bames, Souta apud Melphii in *Comment. cap. 2. stat. 14. Insuper statuta nostri Ordinis cap. 7. 5. 4. num. 1. Et unus pro mille doctissimus Donatus tom. 1. part. 1. tract. 13. quest. 17. & tom. 2. tract. 11. q. 17. & 18. Qui satis doctè, & solidè (ut solet) rem tractat, ac resolvit: Imò non solum illi docet, & resolvit de hæresi, sed etiam de relapsu in hæresim, ex Privilegio Greg. XIII. 18. Martii 1588. quo conceditur Generali Societatis suos subditos absolvere ab hæresi, & relapsu in hæresim.****

3378. Ratio efficax est: Nemo est spoliandus jure certò per superveniens dubium; certum autem est, Prælatos Regulares habere jus absolvendi, & respectivè dispensandi suos subditos à reservatis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, etiam ab hæresi; revocatio verò est dubia, imò potius constat nullam adesse; adeoque non sunt præfatio jure spoliandi, sed possunt eos à præmissis casibus absolvere, & respectivè dispensare.

3379. Discursus firmius probari non potest, quam ex ipsis iuribus, à quibus pendet. Et quidem pro certitudine juris,

Primo, est Privilegium Maris Magni concessum à Sixto IV. Prædicatoribus Bulla 7. in tom. 1. Bullarum, & Minoribus de anno 1474. Bulla 6. in tom. 1. & fusiùs in Bullario Rodr. pag. 153. in quo Privilegio fundatur assertio; quo conceditur Generalibus, Provincialibus, Custodibus, etiam Sacerdotibus, & Guardianis sub se habentibus, & Prælati localibus facultas

Rt

ab.

abfolvendi, & refpectivè difpenfandi fuos fubditos, & alios fratres ad eos declinantes ab omnibus exceffibus, & à quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, aut interdici, alifque Ecclefiafticis, & facularibus fententiis, cenfuris, & poenis, quavis ex caufa à jure, vel ab homine latis, etiam per fententiam particularem, fatifacta parte, exceptis quatuor: Hærefis cum relapfu, Schifma, Fallicitio Litterarum Apoftolicarum, & Delatio prohibitorum ad Infideles. Vide num. 3432.

3380. Insuper conceditur iisdem facultas difpenfandi in omni irregularitate, ex quavis caufa orta, etiam fi celebrasset in locis Ecclefiaftico interdico fuppositis, aut cenfuris ligati Ordines fufcepiffent, vel cum eis celebrasset, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum.

3381. Item facultas difpenfandi irregularitatem ex defectu natalium ex adulterio, facrilégio, incestu, & quovis alio illicito coitu, cum facultate, tam hujusmodi irregulares, quam defectum natalium patientes promovendi ad Ordines Sacros, eosque eligendi, atque afsumendi ad Religionis Officia.

3382. Nomine homicidii voluntarii venire illicitum in quinto Præcepto Decalogi prohibitum docent Rodr. in Comp. ref. 52. num. 24. & Bord. cum aliis tom. 2. ref. 13. num. 14. Unde concludunt, poffe Prælatos in utroque foro cum fuos fubditis difpenfare, tam ad Ordines, quam ad Prælaturas in irregularitate orta ex defectu lenitatis, feu ex homicidio jufto.

3383. Item concedit eis eandem potestatem abfolvendi, & difpenfandi erga Novitios, five post, five ante ingressum, pro quibus addit:

Ita tamen, quod si aliqui, ex hujusmodi fententiis eisdem præter debitum sint aftricti, fatifaciant, ut tenentur. Volumus autem, quod postquam fuerint abfoluti, hujusmodi volentes aggregari Collegio fupradicto, nisi mox Ordinem intraverint (etiãmi fuper hoc induciæ eis à Prælati ejusdem Ordinis concedantur) eo ipfo in pristinas fententias, à quibus eos totaliter abfolvi contigerit, relabantur.

3384. Ut quis Religionem ingrediatur, requiritur, ut debito fatifaciat, si debitum fuit ab ipfo voluntariè contractum, & sit spes fatifaciendi, fectus, si involuntariè, aut non sit spes fatifactionis. Mendo in Epit. verb. Regulares, num. 35.

3385. Insuper concedit, ut ipsi Prælati poffint à fratribus, quos pro tempore habuerint in Confessarios, pariter à præmissis abfolvi, & difpenfari.

3386. Denique præfatam quatuor casuum exceptionem his ponit verbis:

Et propterea ne, qui sunt destinandi, perrapè revocetur in dubium, &c. Declaramus hæreticos relapfos, schifmaticos, & qui Litteras Apoftolicas fallicitent, aut ad Infideles prohibita detuliffent, dumtaxat esse ad Sedem Apoftolicam destinandos;

in reliquis verò omnibus, etiam simoniæ pravitate qualitercumque irretitis, poffe per illos, quibus inibi conceditur, abfolvi onis, & difpenfationis beneficium, & gratiam juxta casuum exigentiam impartiri.

3387. In quo Privilegio fatis exprimitur hæresis, quia exceptio firmat regulam in contrarium; hæresis autem cum relapfu non est pura hæresis formalis, sed tunc habetur, quando quis reincident in eandem hæresim, quam prius in Sacro Tribunali de vehementer abjuraverat. Carena part. 2. tit. 2. §. 5.

3388. Præterea hoc privilegium, cum nullam faciat distinctionem de casibus publicis, & occultis, nec de foro interno conscientia, videtur comprehendere etiam publicos, & pro utroque foro. Rodr. in Comp. ref. 3. num. 2. Bord. tom. 2. ref. 13. num. 14. Peyr. in Conf. 6. Julii II. num. 21. Cruz, & Diana apud ipsum. Et liquet ex caufa motiva Privilegii his verbis:

Ut dicti Ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad Sedem Apoftolicam recurrendi fubtrahatur pro poffe necessitas, &c.

Non autem tolleretur pro poffe necessitas recurrendi Romam, si tenerentur eò recurrere pro foro interno.

3389. Abfolutio verò quoad hæresim folum dari potest pro foro interno conscientia; quia pro foro externo Inquisitoribus competit ob privilegium à Paulo V. & Alex. VII. illis concessum, de quo infra num. 3420.

3390. Et quia fuit dubitatum: An dictum Privilegium fuerit revocatum per Bullam Cœnæ, Julius II. die 27. Februarii. 1570. Reverendissimo Thomæ de Vio Cajetano, Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, respondit per Bullam 17. quam refert Rodrig. in Bullario, pag. 273. ut fequitur:

Julius II. &c. Thomæ de Vio, &c. Exponi Nobis fecisti, quod licet fel. rec. Sixtus Papa IV. &c. extendendo declaraverit, in quibus casibus ad Sedem Apoftolicam recurrendum effet per abfolutionem, & difpenfationem cenfurarum, & irregularitatum à personis Ordinis Prædicatorum, nihilominus propter claufulas derogatorias pofitas in Bulla, quæ fingulis annis in Cœna Domini publicatur, dubitas facultatem illam Ordini prædicto adeptam, &c. Et proinde supplicasti humiliter, ut in præmissis oportune providere de benignitate Apoftolica dignareremur. Nos igitur, qui Religioforum quieti, quantum cum Deo poffumus, libenter confulimus, volentes occasiones tollere vagandi, attendentes quoque multa in prædicta declaratione concessa sunt, quæ in Bulla prædicta continentur, ejusdem S. Sedis autoritate decernimus, quod illi, quibus in prædicta declaratione concessa est potestis abfolvendi, & difpenfandi, licitè poffint perpetuis temporibus abfolvere, & difpenfare ab omnibus, & fingulis, ac si prædicta Bulla in Cœna Domini non effet facta, nec fieret. Præterquam à confpiratione in Rom.

Pon-

Pontificem, & ab illis, propter quæ prædictus Prædecessor noster declarando voluit ad eandem S. Sedem etiam recurrendum, &c. Non obstantibus quibuscumque Apoftolicis ordinationibus, revocationibus, &c.

3391. Ubi constat, Julium II. pro folis quinque casibus num. 3375. relatis, velle, quod fit ad S. Sedem recurrendum.

3392. Insuper Paulus III. 18. Octob. 1549. per Bullam 48. in Bullario, tom. 1. Licet debitum, idem Privilegium concessit Præposito Generali Societatis, ut per se, vel per alios poffit fuos fubditos ab omnibus casibus abfolvere, & fuper irregularitatibus, & poenis difpenfare, exceptis casibus à Sixto IV. exceptis, his verbis:

Et ne sapè in dubium revocetur, qui sint ad Sedem prædictam destinandi, declarationem in ea parte fel. rec. Sixti Papæ IV. Prædecessoris nostri in Bulla, quam Mare Magnum vocant confirmamus.

3393. Secundo est Privilegium S. Pii V. concessum Casinensibus 15. Julii 1571. per Bullam 129. incip. Dum ad Congregationem Casinensem, in tom. 2. Bullarii. Quod Priv. est ampliffimum, nam etiam casus publicos pro utroque foro complectitur, & nullum excipit, nisi homicidium voluntarium injustum, & mutilationem commiffam post ingressum in Religionem.

3394. Quibus Privilegiis gaudent per communicationem omnes alii Regulares, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, seu Monachales, Regulares enim ex pluribus juribus apud Rodr. in Comp. ref. 116. communicant in omnibus Privilegiis concessis, aut concedendis, tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus. Vide infra de Indulgentiis.

3395. Tertio est Privilegium Greg. XIII. 18. Martii 1684. quo concessit Patri Generali Societatis Jesu, ut poffit per se, aut fuos deputatos, fuos fubditos ab omnibus exceffibus, etiam ab hæresi, & ejus relapfu abfolvere, quo Privilegio per multum tempus usa est Societas, licet tandem hanc facultatem à se abdicaverit P. Generalis, teste Tamb. tom. 2. lib. 5. cap. 11. §. 1. num. 12. abdicatio autem, aut non usus Privilegii uni Ordini concessi, non præjudicat aliis Ordinibus communicantibus. Taranus de Privileg. ex Panormi. in cap. Cum accessissent. Vide num. 3441.

3396. Ecce jus certam Prælatorum Regularium in fuos fubditos.

3397. Quod autem ejus revocatio nedum fit dubia, sed potius conflet, nullam adesse, firmiter fuadet, ex folutione oppositorum.

Et quidem Bulla Cœnæ non revocat recentia privilegia. Primo; quia ex num. 3325. vitanda est correctio juris, quando commodè fieri potest cancellatio; Bulla autem Cœnæ non exprimit Prælatos Regulares erga fubditos, sed ritè potest intelligi de abfolutione, & de Privilegiis quoad faculares. Quod maxime fuadet, quia Summi Pontifices, etiam

moderni, ut patet in Bulla Cœnæ Clem. X. in tom. 6. Bullarii, conf. 34. in §. 27. præcipiunt Ordinarios locorum, ut eam (in Ecclesiis fuus, dum in eis major populi multitudo ad divina convenit, folemniter publicent, & ad Christi fclium mentes reducant, nuncient, & declarent.)

Insuper in §. 28. præcipiunt, ut locorum Ordinarii Ecclesiarum Rectores, (ac Presbyteri Sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quavis autoritate deputati, tranfumptum præferunt litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.) In quibus verbis non exprimitur Prælati Regulares in ordine ad fubditos, sed potius Confessarii in ordine ad Sæculares.

Ac proinde hæc propositio, quod Prælati Regulares poffint abfolvere faculares ab hæresi occulta, fuit damnata ab Alex. VII. ut in pag. 1. prop. 4.

Inde opinio, quam tenebat Crofers apud Dianam part. 6. tract. 6. ref. 45. quod Regulares poffint faculares abfolvere ab hæresi occulta, omnino cadit, ut maxime patebit infra à num. 3459.

3398. Secundo; quia motivum, quo Summi Pontifices ea Privilegia concesserunt, fuit ad tollendas occasiones vagandi, ut eorum quietes, & inde disciplina Regularis fervetur, ut constat ex ipsis verbis num. 3388. Quod motivum femper viget, & à Summis Pontificibus intenditur, etque delumptum ex Jure Communi Canonico, cap. Cum fingula de Preb. in 6. cap. Ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. & cap. Cum illorum, de Sent. excom. §. Si Clausuales.

3399. Tertio, quia omne tollit dubium Conf. Julii II. de num. 3390. qui declaravit, quod non obstante publicatione Bullæ Cœnæ, quæ fingulis annis fit, poffint Prælati Regulares, quibus per privilegia concessum est, fuos fubditos in perpetuum abfolvere ab omnibus casibus in ea contentis, exceptis quinque, ac si prædicta Bulla non effet facta nec fieret.

3400. Non obstant Bullæ derogativæ plurium Privilegiorum Regularium. Tales sunt Bulla 9. Gregor. XIII. in tanta, 1. Martii 1573. Bulla 115. Clem. VIII. Quæcumque, 7. Decembr. 1604. Bulla 106. Urb. VIII. in specula Militantis, 19. Junii 1630. & Bulla 7. Clem. X. Superna, 21. Junii 1670.

3401. Pro Bulla Gregor. XIII. in tanta, fupponendum est, quod S. Pius V. per aliam Bullam à præmissis distinctam, quæ est 41. & incip. Etsi Mendicantium Ordines, 16. Maji 1567. refert viginti sex gravamina ab Episcopis folita inferri Regularibus, & inde plura privilegia ibi Regularibus concedit contra Episcopos, quorum aliqua sunt contra dispositionem Trident. ut est illud, quod Regulares in propriis Ecclesiis fuorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare poffint: quod est contra Trident. sess. 24. cap. 7. Item quod Lectores Theologiae à fuus Superioribus ad munus confessionis faculares

Rc 2

rium

rium admisi, ab Episcopis non examinentur; quod est contra Trident. *sess. 23. de Reform. cap. 15.* Et similia.

Ex quo factum est (ut ipse Gregor. XIII. in præfata Bulla narrat) quod plures ortæ sint (altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & fratrum ipsorum Ordines) hac de causa revocatur prædictam Bullam Privilegii Pii V. & alias ejusdem, quantum ad ea, in quibus præjudicium affertur Episcopis contra Trident. dispositionem: Potestas autem Prælatorum Regularium in suos subditos quoad absolutionem nullum præjudicium affert Episcopis, nec est contra Tridentini dispositionem. Unde in vigore remanere videntur duo privilegia S. Pii V. pro Casinensibus de num. 3393. Et pro Prædicatoribus in Bulla 132. incip. *Exponi nobis*, 21. Julii 1571. in Bullario. Hinc iis novissimè utuntur Peyr. Tambur. Donatus, & Amendolia, num. 3377. citati.

3402. At si meum iudicium velis de eo, quod in veritate sentio: Dico, intentum Gregorii XIII. non solum fuisse tollere disensionem inter Episcopos, & Regulares, verum etiam tot Privilegiorum diversitatem; S. enim Pius V. concessit privilegia à suis prædecessoribus distincta, unde alia privilegia, quæ ipse Pius concessit, Gregor. XIII. non revocavit, sed reduxit ad unam legem, & normam, quam illius prædecessores statuerunt. Constat ex verbis ipsius Bullæ Greg. XIII. s. 6.

3403. Nos hac tanta varietate cognita, &c. præsentibus, & futuris discrimini occurrere volentes, &c. Statuimus, & ordinamus, de prædictis, & aliis omnibus litteris, & Constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore (supple tu Pio V.) eisdem de rebus, pro quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus, quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ sive ex jure veteri, sive ex Sacri dicti Concilii decretis, sive alias legitime ante dictarum litterarum, & Constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem, & decisionem, summe pristinum, & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus.

3404. Ex quo firmiter concluditur, intactam, imò confirmatam remanere dispositionem Sixti IV. cum declaratione Julii II. & confirmatione Pauli III. ante S. Pium V. editam in qua quinque casus num. 3375. excipiuntur, & alii tres quoad irregularitatis dispensationem, ut in num. 3376.

3405. Bulla Clem. VIII. *Quacumque*, non facit ad rem sed solum dar formam, qua Ordines Regulares debent erigere Confraternitates sæculares, & quomodo illis communicantur Indulgentiæ, ac indulta: Et deveniendo ad electionem Confessariorum, in s. 9. præscribit ut Confessarii ipsorum Confratrum sæcularium debeant esse approbati, tam à

suis Superioribus, quam à locorum Ordinariis: Nec eos possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, & à reservatis Episcopis respectivè. Peyr. in *Conf. 6. Pij V. num. 42.*

3406. Bulla Urb. VIII. in *Specula Militantis Ecclesie*, solum declarat, Privilegium Bullæ Cruciatæ, quoad electionem Confessarii, quo gaudent laici, & Clerici sæculares, ut ab eo absolvantur ab omnibus casibus reservatis, etiam Papæ, etiam in Cœna Domini (hæresi excepta) in foro tantum conscientiæ, non in foro externo; hoc inquam privilegium non suffragari Regularibus, & Monialibus, sed eos: *Quantum ad Sacramentum Penitentiae, suam confessionis administrationem, ordinaria dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicæ, quoad sibi reservata subiecti sunt, perpetuo declaramus.* Vide à num. 1443.

Ubi (ut vides) Regularibus, & Monialibus non interdicitur absolute absolutio à reservatis suis Superioribus, & Papæ, sed in virtute privilegii Cruciatæ, nam eo absolventur à reservatis suis Superioribus, & Papæ, independentè ab illorum voluntate, quod (ut ipsa Bulla exprimit) cedit in *maximum status, & Regularis observantia præjudicium.*

Unde sibi nullo pacto leditur, sed potius firmatur, & fovetur ordinaria Regularium Prælatorum potestas, qualis est illa à Summis Pontificibus, maxime à Sixto IV. Julio II. & Paulo III. concessa.

3407. Bulla Clem. X. *Sæpèna*, nullo pacto loquitur de casibus Cœnæ, nec de Superioribus Regularibus in subditos, ut patet à num. 3292.

Idem liquet de Bulla Greg. XV. 5. Febr. 1621. *Instructibilis*, & de Decretis Sac. Cong. annexis, ubi plura derogantur privilegia: ut in Bullario à pag. 402.

3408. Constat igitur pro certo, Bullas derogativas Privilegiorum non inficere assertionem secundæ sententiæ. Vide num. 3494.

3409. Adde, Pium IV. per Bullam 94. in *Principis Apostolorum*, 17. Febr. 1564. terminato jam Concilio Trident. revocasse omnia Regularium Privilegia in his solum, quæ Decretis Concilii Tridentini adversantur. Et ipsum Concilium Trident. *sess. 25. cap. 20.* confirmavit quoad reliqua, omnia Regularium privilegia, his verbis:

In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illata.

3410. Insuper plures Summi Pontifices post Tridentinum confirmare Regularium privilegia, quatenus Tridentino non adversantur. Et maxime Gregor. XIII. apud Bullarium Rodr. pag. 451. per Bullam *Ex benigna*, 21. Martii 1575. confirmavit omnia Privilegia Fratrum Minorum de Observ. Monialium S. Claræ, & Tertiæ Ordinis de Penitentia. Ita pariter Clemens VIII. *cit. in num. 3439.* Et demum Paulus V. per Bullam *Injuncti nobis*, 1. Decembr. 1609. apud Lantuscam in Theatro, *verb. Privileg. in omnibus in quibus Sac. Concilii Tridentini Decretis*

tis, ac Constitutionibus, & Litteris Apostolicis, ac Decretis Clementis VIII. non adversentur.

3411. Præmissa autem privilegia à Sixto IV. Julio II. & Paulo III. concessa recentibus Decretis, & Constitutionibus non adversari, constat ab epervolenti. Imò esse conformia Sacris Canonibus supra n. 3398. relatis, ne Religiosi vagentur.

3412. Catalogum Privilegiorum Regularibus à Concilio Trid. revocatorum affert Portellius, *verb. Trid. Concil. & Hieron. Rodr. ref. 116. num. 15.* Et ibi reperies, privilegia prædicta non esse revocata; imò Concil. nihil immutasse pro Prælatibus Regularibus quoad proprias facultates, quantum ad Sacramentum Penitentiae. Leander cum multis, de *Sacram. Pœnit. Trid. 5. disp. 11. q. 45.*

3413. Tandem non obstant Decreta in contrarium adducta num. 3374.

Et quidem Decretum S. Congreg. Episc. & Regul. de 17. Nov. 1628. approbante Urbano VIII. quod terribis refert Diana *part. 8. tract. 7. ref. 50.* & Donatus *tom. 2. part. 3. tract. 11. q. 17. num. 6.* censuit, extincta esse privilegia, si quæ Regulares habebant, absolventi à casibus Ordinario loci reservatis, & à casibus in Bulla Cœnæ contentis, adeoque Regulares, nec intra, nec extra Italiam posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ contentis, aut Ordinario loci reservatis.

3414. Decretum est, ut sequitur:

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, censuit, per confirmationes Privilegiorum, quæ Regulares à Sede Apostolica post Sac. Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolventi à casibus Ordinario loci reservatis. Quemadmodum, nec indulta absolventi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, utpotè sublata per annum ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisivisse ex subsecquentibus Privilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessarii exprimerendi, nec intra, nec extra Italiam in vim Privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hæcenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus, in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reservatis. Ac si fecus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab aliis vero casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis: siquidem regulares habent à Sede Apostolica absolventi facultatem, illam extra Italiam minime sublata: iisdem Sacra Congregationis Decretis, hac de re editis jussu sancti memor. Clem. VIII.

Quam Sac. Congreg. sententiam Sanctitas sua ad se relata approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ

17. Novembris 1628. F. A. Cardinalis S. Honor. phr. Loco ✕ Signilli. P. Fagnanus Secretarius.

3415. Quod Decretum non est novum, sed confirmativum aliorum similium jussu Clem. VIII. & Pauli V. quæ referuntur in Decreto responsali ejusdem S. Cong. de die 7. Decemb. 1646. ad Cardinalem Filamarinum, quod referant Donatus *tom. 1. & Peyr. cit. tenoris sequentis:*

Emin. Sign. Quæsta Sacra Congregazione hà più volte dichiarato con ordine epressi di Clem. VIII. di Gen. è Novembre 1602. di Paulo V. di Gen. 1617. è di Urbano VIII. de Novemb. 1628. Che tutte le facultà d' assolvere de casi reservati d' riservati dagli Ordinari, overò compresi, d' da comprenderi nella Bolla in Cœna Domini implicitè, vel explicitè, & altri reservati solamente alla Santa Sede nel medemo decreto di Novemb. 1602. concessa à Secolari, d' Regulari, &c. sono state annullate, & estinte, così dal Sacro Conc. di Trento, come dalle sudette constitutioni, &c. Onde venendo rappresentato allà Santità di nostro Signore da Emin. &c. che in cotesa Città, è sua Diocèse alcuni Confessori Secolari, è Regulari, senza giustificare con quali facultà, assolvono de fatto dalle censure, & casi sudetti &c. questi Emin. mei Signori di commissione expresse di sua Beatitudine me hanno imposto di seriverle, che, &c. faccia intendere à tutti i Confessori di costà, siano quantovoglia privilegiati, & efenti, che onnamente si conformino con i sudetti decreti, è non ardiscano di contravenire sotto qualsivoglia pretesto, d' caso, etiam di precisa necessità, fuorchè in articulo mortis, con reincidenza, si convaluerint.

3416. Ubi (ut vides) in præmissis omnibus Decretis, nulla fit mentio de Superioribus Regularibus in ordine ad proprios subditos, sed solum de ipsis Confessariis Regularibus; adeoque intelligi debent in ordine ad Sæculares, minime in Ordine ad Regulares, & ita sentiunt Donatus, & Peyr. citati, & quamplures apud ipsos. Ut enim inquit Donatus *Odia sunt restringenda, & in odiosis non comprehenduntur Regulares, nisi in specie exprimentur.*

3417. Imò ita fuisse declaratum à S. C. R. facto verbo cum SS. Clem. VIII. refert Peyr. *cit. ex Peregrino, & Naldo.*

3418. Et quidem satis colligitur ex ipsis Decretis; nam indiscriminatim, & unitim loquuntur de reservatis Ordinario, & de reservatis Papæ in Bulla Cœnæ; quod non haberet locum quoad primam partem, si loquerentur de Superioribus Regularibus in ordine à suos subditos; nam isti non subjacent casibus reservatis Ordinaris locorum. Tum quia iisdem, quibus prohibent absolutionem à reservatis Ordinario, prohibent absolutionem à reservatis Cœnæ, unde solum loquuntur de ipsis Confessariis in ordine ad Sæculares.

3419. Decretum SS. Inquisit. sub Innoc. XI. 23. Maii 1652. non est ad rem; quia solum loquitur

tur quoad Sæculares, & in virtute Jubilæi, ut constat ipso Elicto Inquisit. Siciliæ, quod fuit publicatum Panormi die 15. Febr. 1657. in quo Decreto nulla fit mentio de Prælati Regularibus quoad suos subditos, & de Privilegiolorum virtute.

3420. Nec obstat Privilegium concessum Inquisitoribus à Paulo V. 1. Septemb. 1606. per Bullam *Romanus Pontifex*, & ab Alexand. VII. 8. Julii 1660. per Bullam *Licet aliis*, relatum in tom. 2. n. 249. Quia per illud solum expressè revocatur privilegium Provincialium juridice procedendi contra suos subditos in causis hæresis, & suspitionis hæresis, processus formando, testes examinando, & reos castigando; quod habebant à Leone X. per Bullam *Exponi nobis*, 15. Octob. 1516. in Bullario Rodrig. pag. 300. à Paulo III. per Bullam *Romani Pontifex*, 25. April. 1546. & à Pio IV. per Bullam *Pastoris Aeterni*, 1. April. 1562. *ibid.* pag. 402. & nulla fit mentio de potestate absolvendi in foro interno conscientie, quæ quidem est omnino distincta à potestate juridicè procedendi, quæ utique solis competit Inquisitoribus.

3421. Hæc sunt Decreta omnia, quæ in oppositum possunt adduci. Si quod aliud referatur, vel non apparet, vel non est promulgatum, vel non constat authenticè.

3422. Deindè non obstat stylus Curie, seu S. Pœnitentiariæ, si quis sit, absolvendi Religiosos, & respectivè cum eis dispensandi super aliquo ex præmissis casibus. Donatus tom. 1. part. 1. tract. 13. quest. 17. num. 26. quia id vel sit, ad majorem cautelam, ut ait Donatus: vel quia recurrens potestatem sui Prælati ignorat. Tùm quia stylus Curie consistit in hoc, quod si aliqui Regulares ad illam recurrant, absolvat, & dispense; at indè non sequitur, quod non sit in Prælati Regularibus potestas ad hujusmodi absolutiones, & dispensationes, sicut nec id sequitur, si quis Regularis ad Episcopum recurreret, & Episcopus absolveret, ac dispensaret; uniusquisque enim utitur jure suo. Lege Portellium, verb. *Dispensare* num. 18. majora docentem.

3423. Non erit autem abs re hæc referre, quæ habet Melphi de Pœnit. cap. 28. q. 3. in tomò Typis dato Romæ 1649.

(Majorem, & ampliore facultatem dispensandi, & absolvendi habent Prælati Regulares quàm Sæculares (supple te erga suos subditos) & ita mihi semel consulenti Dominum Coccinum, & Rotæ Decanum, & Sacræ Pœnitentiariæ Regentem pro quibusdam casibus, qui è partibus mihi commissi fuerant, respondit ipse Prælati: Miror, quod vos ad Sacram Pœnitentiariam configiatis, cum in vestris privilegiis majorem Pœnitentiaria facultatem habeatis; sicut de factò est.)

3424. Ex quibus (ajunt sectatores secundæ sententiæ) evidenter concluditur, recentium jus Prælatorum Regularium in suos subditos esse certum, revocationem verò nedum esse dubiam, sed potiùs

clare constare nullam adesse, ac proindè assertionem secundæ sententiæ remanere moraliter certam.

PLURA DE PRÆLATIS REGULARIBUS

quoad subditos in reservata.

3425. **I**dem dicunt relati Doctores de Prælati Regularibus in ordine ad Moniales sibi subjectas, etiam diversè Regulæ, & tam Secundi, quàm Tertii Ordinis, collegialiter, & sub professione trium votorum substantialium viventes, ex Privil. Sixti IV. Bulla 19. *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines*, 26. Julii 1479. Ubi eis concedit communicationem omnium privilegiorum, quatenus earum sexui non contradicant. Isdem privilegii fruuntur Tertiarii, & Oblati cum ipsis Fratribus claustraliter viventes, ex Const. 22. *Dum intra*, edita in Conc. Lateran. sess. 11. à Leone X. 1. Martii 1518. §. 21. *Vide* num. 3581.

3426. Item isdem fruuntur Tertiarii non claustraliter, sed in donibus suis viventes, etiam si sint viduæ; quæ tamen Tertiariarum Regulam servant, & faciunt solum votum castitatis ex Ordinarii licentia. Non est autem necesse, quod emittant alia duovota; idque ex Conc. Lateran. *cit.* undè sunt verè sæculares. Harum tamen Confessarii esse debent ab Ordinario loci approbati, ex Dec. Sac. Cong. 20. Decemb. 1566. & 31. Januar. 1620. apud Lantulum, verb. *Tertiaria*, & Peyr. in *Const.* 4. *Sixti IV.* §. 7. pag. 33.

3427. Moniales S. P. Dominici communicare cum Privilegiis aliorum Ordinum (exceptis odiosis, & earum sexui repugnantibus) etiam si Fratrum Ordinis Minorum, aut Ordinariorum locorum regimini earum Monasterium sit commissum, docet Donatus tom. 3. tract. 2. quest. 18. & 19. Idem dic de Claris.

3428. Prælati Regulares potestatem à prædictis casibus absolvendi, & super eis respectivè dispensandi possunt alteri generaliter delegare; quia est potestas Ordinarii.

3429. Jurisdicção enim delegata est, quæ competit ex particulari Superioris commissione, quæque sequitur personam; & hæc expirat morte concedentis, nisi causa sit incepta, aut sit data à Summo Pontifice, vel Principe Supremo ad universalitatem causarum. Ordinaria verò est, quæ competit ex lege generali, & perpetua, quæque sequitur officium, & Rotæ Decanum, qualis est præfata jurisdicção Prælati Regularis, & hæc non spirat morte concedentis.

3430. In Confessariis, ut à prædictis reservatis absolvant, non sufficit simplex approbatio in Confessarios, sed requiritur ulterius generalis, aut specialis deputatio ad illos, ut liquet ex privilegiis.

3431. Prælati Regulares suos subditos absolvere possunt, ac dispensare, & pariter ab isdem absolvi, & dispensari, non solum in loco suæ jurisdictionis, sed etiam extra. Melphi in *Const.* cap. 7. stat. 1. pag. 504.

Quan-

3432. Quantum ad Guardianos, affirmant posse à reservatis Papæ absolvere, & absolvi Port. verb. *Prælati*, & Rodr. in *Comp.* ref. 3.

Dico veritas, non posse; Melphi cap. 7. stat. 1. pag. 504. quia quamvis possent, quantum est ex vi privilegii, quatenus eos comprehendit ex num. 3379. non possunt tamen ex jure particulari nostræ Religionis, quæ in Capitulo Generali tale Privilegium quoad Guardianos non acceptavit, fundata in Trident. sess. 14. cap. 7. *Ubi ad Christiani populi disciplinam pertinere visum est, ut graviora crimina non à quibusvis, sed à Summis dumtaxat Sacerdotibus absolventur.* Idem ibi est concessum Episcopis in suis Diocæsis, & indè autoritatem quasi Episcopalem habentibus, cujusmodi sunt Provinciales, minime Guardiani; hæc de causa in stat. cap. 7. §. 2. pag. 115. per tria Capitula Generalia habetur:

Decernimus, & sancimus, ut in illis casibus, quos per statuta Generalia, aut per Constitutiones Apostolicas reservatos esse, ad reservari contigerit; nemo absolvere quemquam presumat sub pena excommunicationis ipso facto incurrenda; nisi à Generali, vel Provinciali Prælato absolvendi facultatem accipiat.

3433. Hinc in nostra Religione Guardiani, licet sint ipso jure Confessarii, facultatem super reservatis Papæ, aut Provinciali non habent, nisi ab ipso Provinciali obtineant. In cæteris verò Religionibus consulat unusquisque propria statuta. *Vide* num. 3393.

3434. Illud certum est, Guardianum non posse approbare Confessarios pro aliis, sed id solum ad Generales, Provinciales, aut Custodes custodias habentes spectare. *Vide* num. 3379.

3435. In Ordine nostro reservatur Provincialibus gravis percussio. At in nostris statutis, pag. 118. conceditur, ut possit ab ea, etiam in foro externo absolvere (si non sit atrox, etiam in subditis in Prælatum) Guardianus, vel eo absente per diem naturalem, Vicarius, si Ministri præsentia intra triduum haberi non possit.

Potestatem ad dispensandum quoad alia, quæ ad Sacram. Pœnit. non spectant, vide in *Comp.* Rodr. ref. 52. & Melphi in *Comment.* cap. 2. stat. 14. §. 5. qui fuscè agit de pœnis contra malè promotos ad Ordines.

MONIALES

3436. **N**ON exemptas subdi casibus reservatis ab Episcopo, non est dubium; quia sunt ejus subditi.

Exemptæ verò subduntur casibus reservatis proprio Prælato Regulari. Unde Ordinarius pro his non potest alios reservare casus; nisi illos, qui ad claustrum spectant, quia Moniales exemptæ, solum quoad claustrum sunt Ordinarii subjectæ. Idem dic de puellis, quæ intra Monasteria exempta cum educandis morantur, & habitant, quia ratione loci sunt liberæ ab Ordinarii jurisdictione. *Vide* n. 1450.

& 3297. Donatus tom. 3. tract. 5. q. 33. num. 2. & facta ab Ordinario reservatione alicujus casus ad claustrum spectantis, certum est, non posse Prælatum Regularem ab illo suam subditam absolvere.

Denique dispositio, & restrictio facta à Clem. VIII. super casum reservatione, relata num. 3301. solum locum habet pro Monialibus Prælati Regularibus subjectis, minime pro subjectis Ordinario; quia Prælati Regularibus est directæ Pelliz. cap. 10. à num. 45.

NOVITIOS

3437. **N**ON comprehendit (ait Sieri de Sacrament. Pœnitent. num. 779.) à reservationibus Religionis; quia in odiosis non sunt subditi: sic communis contra Peregrinum, & Laymanum lib. 4. tract. 5. cap. 4. & quamvis ex quodam vivæ vocis oraculo Pauli V. 5. Augusti 1609. concessum fuerit Superioribus Regularibus, ut possint reservare peccata, etiam Novitiorum, hoc autem Privilegium non viget, quia ab Urb. VIII. revocata fuere omnia oracula vivæ vocis.

QUÆRES I:

3438. *An Prælati Regulares possint suos subditos absolvere ab excommunicatione contra abortum procurantes à Sixto V. infligta. Insiper ab excommunicatione, & suspensione contra Simoniacæ promotos ad Ordines ab eodem Sixto fulminati?*

Videtur quod non, quia Sixtus V. ea reservavit Romano Pontifici expressè comprehendendo in reservatione etiam Superiores Regulares in ordine ad subditos.

Respondendo posse. Rodr. in *Comp.* ref. 3. num. 7. Port. verb. *Prælati*, num. 29. Pro quo si es curiosus, scias, quod Sixtus per Bullam 77. *Effrenatam* 29. Octobris 1588. tulit excommunicationem late sententiæ contra procurantes abortum factus, si ve animati, si ve inanimati, effecta securo, & contra cooperantes ad illum consilio, favore, potione, aut alio modo; quos censuram reservavit soli Romano Pontifici, comprehendendo etiam Superiores Regulares in ordine ad suos subditos. Greg. verò XIV. per Bullam 8. *Sedes Apostolica*, 31. Maii 1591. moderavit rigorem Bullæ Sixti, & proindè abtulit censuram contra procurantes abortum factus inanimati, & eam reliquit contra procurantes abortum factus animati; concessit tamen Episcopis, ut possint in foro conscientie ab hujusmodi peccato, & censura absolvere per Confessarios, si ve Sæculares, si ve Regulares ad id deputatos; at id non concessit Superioribus Regularibus, undè quoad hoc, non fuit revalidatum Privilegium à Sixto V. extinguitum.

3439. Postea verò recensita privilegia fuerunt innovata, & in pristinum restituta à Clem. VIII. 11. per Bullam 51. *Ratio Pastoralis Officii*, 20. Decemb. 1597.

Ex certa scientia confirmavit, & in pristinum sta-

sta-

statum restituit omnia privilegia trium Ordinum S. Francisci utriusque sexus, tam propria, quam per communicationem inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, per suos Prædecessores Pontificis eis concessa; in his omnibus, in quibus Decretis Concilii Tridentini non adversentur. Confirmatio autem ex certa scientia (ait Rodr. in Comp. ref. 3. num. 8.) revalidat invalidum, & revocatum, habetque vim innovationis, cap. 1. de Translat. cap. Quoties, de Pœnit. Ex quo concludit Rodr. cit. Superiores Regulares posse hodie suos subditos utriusque sexus de hoc peccato, & censura absolvere, etiam in foro externo. Bord. tom. 2. ref. 13. num. 19.

3440. Super irregularitate ex abortu factus animati dispensare non possunt; quia est ex homicidio voluntario injusto, adeoque est exceptatum à Sixto IV. ut in num. 3380.

3441. Bord. autem cit. num. 14. Rodr. in Comp. ref. 52. num. 25. Port. & Pelliz. tract. 9. cap. 3. tenent, posse Prælatos Regulares cum suis subditis pro utroque foro dispensare, etiam in tribus irregularitatibus à Sixto IV. exceptis; videlicet, homicidii voluntarii injusti, bigamiae, & mutilationis membrorum; idque in virtute Privilegii Pauli III. per Bullam 12. Exponi nobis, 12. Martii 1545. apud Bullarium Rodr. pag. 376. Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præsidentibus Ordinis S. Benedicti Vallisolei concessi, & per communicationem cæteri Prælati Regularibus, Generali, Provincialibus, & Guardianis concessi, ut sequitur:

Nos igitur, qui singularum salutem paterno zelamus affectu, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, quod stante immemorabili consuetudine hujusmodi, etiam de cætero perpetuis futuris temporibus singulis annis prima die Lunæ Quadragesimæ hujusmodi omnes, & singulas utriusque sexus personas Ordinis, & Congregationis prædictorum Religiosas, ac eidem Ordini, & Congregationi oblatas, seu donatas, necnon Eremitas, sub cura vestra existentes intra septa vestrorum, seu ipsorum pro tempore absolvendorum Monasteriorum, seu aliorum Regularium locorum, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, sententiis, censuris, & pœnis per eos pro tempore quomodolibet incursum, etiam in casibus diætæ Sedi quomodolibet reservatis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi, absolvere, & cum eis super quibusvis irregularitatibus per eos pro tempore quavis occasione, vel causa contractis dispensare, prout hæcenus, ut præfertur, consuevistis, dicta auctoritate valedicis, plenam, & liberam eadem auctoritate tenore præsentium concedimus facultatem.

Quod Privilegium nullam irregularitatem excipiat; nec ei opponitur (ait Pelliz. cit.) exceptio facta à Sixto; quia usus Privilegii Sixti est pro toto anno, & non est limitatus ad unam solam diem anni, & ideo est concessus amplior, eo sine, ut majori

cum animi hilaritate, & serenitate Altissimo famulari possint: hanc sententiam probabilem, & tutam in praxi vocat Diana p. 4. tract. 2. ref. 63.

3442. Insuper Sixtus V. per Bullam 19. Sanctam, 5. Januar. 1588. tulit censuram suspensionis contra male promotos ad Ordines, & sic promoves contra Decreta Concilii Trident. per saltum, sine titulo furtive, ante ætatem, &c. & ultra suspensionem, tulit excommunicationem contra simoniacè promotos, & promoves ad Ordines, etiam minores, aut ad Tonsum: quas censuras pariter reservavit Romano Pontifici, comprehendendo etiam Superiores Regulares in ordine ad subditos.

3443. Quem rigorem moderavit Clemens VIII. per Bullam 40. Romanum Pontificem, 28. Febr. 1595. quatenus Bullam Sixti, & ejus pœnas reduxit ad terminos Sacrorum Canonum, ad Decreta Trident. & ad Const. 7. Pii II. Cum ex sacrorum Ordinum, 17. Novembris 1461. qua statuitur, ut qui extra tempora, aut ante legitimam ætatem, vel absque dimissionis, ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoveri, à suorum ordinum executione ipso jure suspensi sint, & si hujusmodi suspensione durante, in eis Ordinibus ministrare presumpserint, eo ipso irregularitatem incurram, & nulli reservat. Decret. Trident. de hac materia sunt sess. 7. de Reform. cap. 10. sess. 23. de Reform. cap. 1. & 2. sess. 23. de Reform. à cap. 3. ad 17. ubi vide suspensiones, quæ reservantur.

3444. Licet autem Clemens VIII. censuras, & pœnas quoad alios defectus sic moderaverit, suspensionem, & excommunicationem contra simoniacè ordinantes, & ordinatos à Sixto inflictas voluit in suo robore permanere.

3445. Quia tamen idem Clemens VIII. postea anno 1597. privilegia antiqua, ut jam dictum est in num. 3439. innovavit, sequitur, ut Prælati Regulares possint hodie suos subditos à dictis censuris absolvere, uti de abortu dictum est, & multo magis à simonia commissa in collatione officii, seu beneficii. Rodr. cit. & Port. verb. Prælati potestas ad absolvendum.

QUÆRES II:

3446. An Religiosi possint confiteri, & à reservatis absolvi extra Ordinem?

R Esp. posse, 1. In articulo, seu periculo probabili mortis. 2. In casu necessitatis, puta si reperirentur in terris infidelium, aut urgeret necessitas celebrandi, & Confessarius proprius non adesset.

3447. Itinerantes confiteri possunt Sacerdoti extra Ordinem de licentia sui Superioris, quam licentiam in nostra Religione dare potest Guardianus, ex concessione Capituli Generalis in stat. cap. 7. §. 1. num. 5. ubi generaliter dicitur: Nisi eligentis Confessarium, generalem habuerint à Superioribus facultatem. Nomine autem Superioris, & Prælati venire Guardianum, certum est ex eisdem stat. num. 1. & ita servari in praxi, docet Melphi in stat. cap. 7. stat. 1. num.

num. q. 6. qui ritè ponderat, grave fore, si Religiosus, ubi Provincialis non est, licentiam hanc à Provinciali petere teneatur.

3448. Hæc licentia sufficit, si sit generalis, aut tacita, seu præsumpta; imò implicitè continetur in ipsa licentia itinerandi. Melphi cit.

3449. Religiosus autem itinerans non potest eligere Sacerdotem simplicem, nisi ad id habeat specialem licentiam sui superioris, qui quidem potest pro suis subditis Sacerdotem simplicem extraneum approbare. Vel nisi deficiat extraneus approbatus; quia tunc potest eligere simplicem ex præsumpta licentia sui Superioris. His seclusis casibus, Sacerdos extraneus, si sit secularis, debet esse approbatus ab Ordinario loci; si Regularis, sufficit, si sit approbatus à proprio Prælato Religiosis; quia Trid. in Decret. requirente approbationem Episcopi, non includit Religiosos, ut advertit Tamb. tom. 2. pag. 33. num. 17. & Port. verb. Confessor, 14.

3450. Nec potest ab extraneo absolvi à reservatis, nisi habeat expressam licentiam à suo Provinciali pro illis; vel nisi habeat ab eo auctoritatem passivam, ut absolvatur ab illis. In casu autem necessitatis pro reservatis discurrere juxta Regulas generales de num. 3354. ad 3371.

3451. Hinc Port. cit. infert, quod si duo Fratres Sacerdotes simplices itinerant, non possint ad invicem confiteri, nisi expressam ad id habuerint licentiam sui Superioris, quam licentiam fatetur, eis ex Episkepe dare posse Guardianum, si discedant à Conventu, ubi non est Provincialis.

3452. Port. cit. num. 13. refert Privil. Martini V. Patribus S. Hieronym. Ut existentes extra Conventum possint eligere Confessorem Sæcularem, vel Regularem, qui eos absolvat in omnibus casibus, à quibus absolvi possunt existentes in Monasterio. Non conceditur autem absolutio à reservatis Prælati Ordinis.

3453. In nostra Religione confessio Religiosi Reformati facta cum Confessario Observanti, aut è converso, est valida, si Confessarius sit à Generali approbatus; quia Observantes, & Reformati formant unum corpus sub uno capite; unde diversæ constituunt Provincias ejusdem Religionis.

3454. Invalida est, si Confessarius sit approbatus à suo solo Provinciali (nisi Religiosus pœnitens sit hospes, aut itinerans) quia Religiosus unius Provincialis non sunt subditi alterius Provincialis; & quia jurisdictio non extenditur in non subditos: facultas delegata, quam habet Confessarius ab uno Provinciali, non extenditur in subditos alterius.

Eadem ratione Confessarius unius Provinciae, si ad aliam accedat, non potest ibi Confessiones excipere, sed illius Provincialis approbatione indiget.

3455. Valida autem est, si Provincialis Reformatus pro suis Confessarium Observantem approbet, & è converso. Provincialis enim potest (spectato jure communi) Sacerdoti extero, tam Religioso,

quam Sæculari concedere, ut sui Religiosi Confessiones excipiat, quia respectu suorum subditorum habet jurisdictioem quasi Episcopalem. Sieri de Sacram. Pœnit. num. 773. & Melphi in Comp. cap. 7. stat. 1. qui q. 10. in fine subdit:

3456. Excipio casum fortuitum, cujusmodi esset, si quis ex familia S. Francisci, vel S. Petri in Monte Aureo, ob negotia ad Aracælanum Conventum accederet, & ibi celebrare vellet, vel quid simile; tunc dico, licitè, & validè confiteri. Hoc enim in praxi videmus fieri ex utraque parte. Lege Candidum 2. p. disquis. 24. art. 57. dub. 3. qui docet, posse ex Privilegio hospites, etiam alterius Provinciae confiteri, & absolvi à reservatis, si Confessarii talem facultatem habeant.

DE POTESTATE CONFESSARIORUM Regularium quoad Sæculares, & exteros.

3457. Certum est in Jure Communi, cui accedit consuetudo, non dari casus reservatos Episcopis, sed illos solos eis reservari, quos ipsi in propriis respectivè Diœcesibus sibi reservant. Vidal pag. 52. cum com. Hoc præmissis.

3458. Dico, eos absolvere posse in foro interno conscientia ab omnibus casibus, & censuris reservatis Papæ, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, & intra Italianam, extra Urbem exceptis aliis sex, de quibus infra num. 3473. insuper exceptis casibus reservatis Episcopis in suis respectivè Diœcesibus. Peyr. tom. 1. de Subdito, in Appendice, q. 4. cap. 10. pag. 174. Item in tom. Privil. in Const. 6. Julii II. pag. 92. & in Const. 6. Pii V. pag. 203. Donatus tom. 1. part. 2. tract. 4. q. 33. & 34. Rodr. in Comp. ref. 3. à num. 36. Port. verb. Confessor, num. 22. Vidal. pag. 64. Joana la Cruz de Privil. lib. 2. cap. 7. dub. 1. & com. Vide num. 3492.

3459. Constat ex Privilegio Societatis, in quo quidem commutant omnes Regulares, concessio à Paulo III. per Bullam 7. Cum inter cunctas, 3. Junii 1545. apud Bullar. Rodr. pag. 370. his verbis:

Necnon illis ex vobis, unde diversæ fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christi fideiudium ad vos undecumque accidentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absolvendi, ac pro eis commissis pœnitentiam salutarem injungendi: necnon vota quæcumque per eos pro tempore emissæ (ultramarinis visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Urbe, ac S. Jacobi in Compostella, necnon Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi, &c.

plenam, & liberam facultatem, autoritate Apostolica beneficiam concedimus.

Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, &c. & Litteris Apostolicis, etiam per Sixtum IV. in Capitulo: *Esi Dominici*, & alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Prædictam, etiam consistorialiter editis, &c. quibus, &c. expressè derogamus. *Vide num. 3397.*

3460. Præmissa particula: *Auditis eorum confessionibus*, intelligendæ sunt secundum Juris dispositionem, videlicet, ut absolutio à peccatis fiat in Sacramentali Confessione, à censuris verò fieri possit extra illam. *Rodr. modò citandus.*

3461. Et quia in præmissis Privilegio nulla fit limitatio, *Rodr. in Comp. ref. 3. num. 36.* concludit, posse Regulares absolvere Sæculares, & externos utriusque sexus ab omnibus casibus, etiam Papæ reservatis, occultis, aut publicis; necnon à quibusvis censuris, tam à jure, quam ab homine, etiam specialiter, & nominatim latis, dummodo parti satisfactio fiat, aut detur sufficiens cautio de satisfaciendo, ut à *num. 3364.* & pro utroque foro: quod firmat ex quadam Declar. Pii V. de anno 1568.

3462. Hæc autem doctrina *Rodr.* quantum ad excommunicatos nominatim, & quantum ad utrumque forum, non subsistit.

Et quidem nominatim ab Episcopo excommunicatos non posse absolvi, constat; quia regulariter hujusmodi excommunicationes Episcopi sibi ipsis reservant, ut videri potest in formulis; & à reservatis Episcopi Regulares non valent absolvere ex tot Bullis Pontificiis, & Decretis relatis 3407. & 3413. maxime ex Bulla Clem. X. *Superna*, num. 3295. §. 6. Hinc damnata fuit ab Alex. VII. propositio affirmativa: ut in pag. 2. prop. 12.

3463. Quia regula illa, *majori concessio, intelligitur quoque concessum, quod minus est*, non habet locum, quando minus est separabile à majori, in majori non continetur, & insuper prohibetur.

3464. Præterea adest Bulla 115. Clem. VIII. *Quacumque*, 7. Decemb. 1604. quæ in §. 9. loquendo de Confessariis Regularibus erga Sæculares habet:

Ac ab aliis etiam casibus, tam à nobis, quam à prædicto nostro in Urbe Vicario, & locorum Ordinariis respectivè reservatis, & pro tempore reservandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata absolvere, & super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare preterea dictorum Privilegiorum nullo modo possint. *Tamb. tom. 2. de Casibus reserv. cap. 15. §. 2. ait*, quod si rationalis sit causa, puta si Episcopus nimis distet, aut licentiam neget, tunc nominatim excommunicatus possit pro foro interno absolvi, si sit dispositus, & per ipsum non stet, ut pro foro externo à suo Prælato absolvetur. Ita ille.

3465. Item falsum est, quod absolutio à censuris possit à Regularibus dari etiam pro foro fori.

Ex ipsis namque verbis Privilegii Pauli III. *Confessionibus auditis: & poenitentiam salutare injunctis*: satis constat, potestatem amplam absolventi esse datam solum pro foro interno conscientia, & nolle Pontificem hujusmodi delinquentes à judicio externo, & pena juridica liberare.

Cui accedit praxis, & observantia. 3466. Nec juvat Declaratio Pii V. qua *Rodr.* id probat; quia puto eam comprehendi in revocatione facta à Greg. XIII. *In tanta*: ut liquet ex dictis à *num. 3401. ad 3404.* & ritè, quia absolutio pro foro externo, quoad alienos subditos præjudicat potestati Ordinarii proprii, & Judicis, ad quem spectat causæ cognitio; non sic absolutio solum pro foro interno conscientia, hæc namque (ut advertit *Donatus*) non ligat manum Judicis; non enim impedit processum, nec retardat actum justitiæ, nec tollit jus tertii; quia quoad forum judiciale non censetur absolutus ut dictum est *num. 3315.* hinc absolutus in foro conscientia, est absolutus coram Deo, non coram Ecclesia.

3467. Id solum verum est, quod docet *Diana part. 1. tract. 11. ref. 26.* cum multis, quod *Judex contra ita absolutum per Bullam* (supple tu: *vel per privilegia*) non tenetur procedere, unde si velit esse benignus, potest acceptare hanc absolutionem, etiam pro foro exteriori, & repellere accusationem siccis accusantis illum, vel in ferendis sententiis temperare rigorem, & *pœnam*.

3468. Corroboratur mea assertio ex aliis amplissimis Privilegiis Jubilæi, & Bullæ Cruciatæ, in quibus quidem datur ampla facultas absolventi ab omnibus casibus, & censuris à jure, vel ab homine, occultis, aut publicis, Sedi Apostolicæ, aut Episcopi reservatis, in solo tamen foro conscientia; ut maxime liquet in amplissimo Jubilæo contra Turcas edito à Clem. X. §. 6. 1672. *Inter gravissimas*, & Declar. Urban. VIII. relata pro Bulla Cruciatæ in *num. 3406.*

3469. Denique omne tollit dubium Clemens X. per Bullam *Superna*, §. 6. quam refero in *num. 3295.* omnino vide ibi, ubi nostra assertio præcipitur, & irritum declaratur oppositum.

3470. Pro foro igitur interno conscientia, & exclusis excommunicationibus ab homine latis, firma, & valida sunt nostra Privilegia quoad Sæculares, & externos; atque in suo robore remanet Privilegium Pauli III. quod nunquam fuisse revocatum, imò fuisse confirmatum, constat perlegenti Bullas, & Decreta, tam revocativa, quam confirmativa Privilegiorum à *num. 3400. ad num. 3422.*

Imò semper fuisse in usu, ut tradunt Doctores *cit. & Peyr. in Causis. 6. Julii 11. num. 21.*

3471. Non obstat Decretum S. C. Episc. & Regul. Jussu Clem. VIII. editum 9. Jan. 1601. quod præcipit cuilibet Confessario Sæculari, aut Regulari extra Urbem, intra Italiam degenti, ut nullus sub prætextu Privilegiorum audeat absolvere à casibus in Bul-

Bulla Cœnæ contentis: *Vel alias quomodocumque Sedi Apostolica reservatis.*

Non obstat inquam; quia prædictum Decr. ob dubia, & difficultates à Regularibus inde exposita, fuit anno sequenti 26. Novembris 1602. moderatum per aliud Decr. ejusdem S. Congreg. jussu ejusdem Clem. VIII. editum, ut sequitur: apud *Peyr. tom. 1. cit. pag. 175.* & *Donatum tom. 2. tract. 11. q. 17.*

3472. Cum autem dubia quedam, ac difficultates, circa ejusdem Decreti interpretationem, atque observationem emerissent, eadem S. Congreg. ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatè locus relinquatur, & ut clarior appareat, in quibus casibus vigore ejusdem Decreti reservatis, intelligatur prohibita absolutio speciali mandato ejusdem S. D. N. Clem. Papæ VIII. similiter vivæ vocis oraculo super ea re habito, ipsum decretum ita moderatur, & declarat, videlicet, sub ejusdem prohibitionis illos tantum in posterum comprehendendos casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur.

3473. Ac præterea, 1. Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Bullæ Greg. XIV. 2. Violationis clausuræ Monialium ad malam finem. 3. Provocantium, & pugnantium in duello, juxta Decr. Conc. Trident. & Const. Gregor. XIII. incip. *Ad tollendum*. 4. Injunctum violentas manus in Clericos, juxta Canonem: *Si quis suadente diabolo* 17. q. 4. ac juris dispositionem. 5. Simonix realis scienter contractæ. 6. Atque etiam conscientia beneficalis. Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservant, vel in posterum reservantur.

In quibus omnibus jam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam poena inhabilitatis audiendi confessiones, eadem S. Cong. vult, & mandat, dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere.

Ac præterea declarat, eos quidem Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis, & facultatibus in suprascripto Decreto expressis, suffulti fuerint, posse juxta eorum Privilegia, indulta, & facultates, usu ante idem Decretum receptas, & quæ sub aliis revocationibus non comprehenduntur tantum, & non alias absolvere à casibus in præsentî declaratione non comprehensis, &c.

3474. Ex quo decreto firmiter concluditur, Privilegium Pauli III. remanere in suo robore, in quo quidem erat ante recentium Decretum de anno 1601. quoad omnes casus Papæ reservatos, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, reservatis Episcopis, & aliis dumtaxat sex relatis. Constat tam ex exceptione in Decreto facta, quoniam exceptio firmat regulam in contrarium, quam ex positiva confirmatione potestatis quoad alios casus.

3475. Hoc tamen discrimen est omnino observandum, ut à 20. casibus reservatis in Bulla Cœnæ Regularibus absolvere non possint nec intra, nec ex-

tra Italiam; quia reservatio Bullæ Cœnæ est facta pro toto Orbe Christiano. Idem dice de casibus reservatis Episcopis, ut constat ex Bulla Clem. VIII. relata *num. 3405.* lata pro toto Orbe Christiano, ex Decr. Urb. VIII. 17. Novemb. 1628. relato in *num. 3414.* & ex *prop. 12.* damnata ab Alex. VII. A reliquis verò sex casibus à Clem. VIII. reservatis, relatis in *num. 3473.* non posse intra Italiam, & extra Urbem, posse verò in Urbe, & extra Italiam, ut declarat ipsum Decretum Clem. Item in suburbii Urbis *Bord. tom. 2. ref. 6. num. 12.* quia in favorabilibus termini sunt ampliandi, unde nomine Civitatis veniunt Suburbia.

3476. Idem docent *Bord. cit. num. 13.* & *Diana part. 3. tract. 2. ref. 13.* in Insulis Sicilia, Sardinia, & Corticæ; quia Geographi, & Historiographi has insulas non connumerant cum partibus Italia; & Pontifex, quando edit Constitutionem pro Italia, & vult Insulas comprehendere, eas exprimit similibus verbis: *etiam quoad Insulas adjacentes*, quod non facit Decret. Clementis. Oppositum tenet *Merullus*, apud illos, dicens, in relatis Insulis Decret. Clementis praticari. *Vide tom. 2. num. 392.*

3477. Ex dictis colliges, Confessarios Regulares absolvere posse à casibus Sancti Officii, satisfacta parte, modo dicto in *tom. 2. num. 730. ad 733.* nisi contineant hæresim formalem externam, nec continentur in Bulla Cœnæ, nec sint intra Italiam de aliis sex, nec Episcopis sint reservati. *Mendo in Epit. verb. Regulares, num. 28.*

3478. Denum Pelliz. de *Monialibus, cap. 9. num. 19.* docet, Confessarios Regulares, etiam intra Italiam posse absolvere Moniales non subditas à quinque casibus à Clem. VIII. reservatis, quatenus prohibitio absolutionis est facta solum respectu poenitentium Sæcularium, minime Regularium. At hoc non probat, quia prohibitio est facta respectu poenitentium exteriorum absolute, ut patet ex verbis Decret. de anno 1601. in *num. 3471. Vide tom. 2. à num. 391.*

3479. Obiter hic refero Privilegium Pauli III. per Bullam 48. *Licet debitum*, 18. Octobris 1549. concessum Generali Societatis Jesu, & per communicationem Generalibus aliorum Ordinum, ut sequitur:

§. 33. Et ut cum aliquos ex Fratribus, seu Sociis Societatis hujusmodi in Sarracenis, & Paganorum, aliorumque infidelium terras, & Provincias alias remotissimas, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit; possit eis autoritate nostra facultatem concedere, ut Christianos ibidem commorantes, confessione peccatorum suorum audita, & poenitentia salutari injuncta, eos, & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini reservatis, & consequentibus censuris, & pœnis absolvere.

§. 34. Et cum iis, qui ab infidelitate convertentur tantum, & in locis remotissimis, qui prius in

gradibus non licitis, tamen lege Divina non prohibitis, matrimonium contraxerant, ut in iisdem manere possint, dispensare.

§. 35. Ac in locis prædictis remotissimis, quæcumque Ecclesias, Hospitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac nunc, & pro tempore erecta reformare, sine alicujus præjudicio, & vestes Sacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, cœmeteria (si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adsit) benedicere, ac profanatas Ecclesias reconciliare possint. Et quæcumque statuta, & ordinationes, desuper necessaria facere, illaque postquam facta fuerint, mutare, alterare, ac illis addere, & detrahere.

§. 36. Ac Præpositi Provinciali in illis longinquis partibus residente decedente, interim, dum alius per Generalem Præpositum mittitur, loco Præpositi sic decedentis, alium eligere libere, & licite valeant.

§. 37. Et quia in numerosis populis illarum Regionum tanta est Sacerdotum raritas, ut unus plerumque curam populorum suscipere debeat, ut bis eodem die Missam celebrare diversis in locis valeant.

§. 380. Ubi nota, Privilegium absolutiois de §. 33. non revocari per Bullam 115. Clem. VIII. Quæcumque, 7. Decembris 1604. relata num. 3464. quæ Bulla Clem. expressè loquitur de locis fidelium, & Orbis Christiani, ubi sunt Episcopi Catholici.

§. 381. Similiter Innoc. IV. apud Bullar. Rodr. Bulla 20. concessit Sacerdotibus Ordinis Minorum, ut in terris Infidelium, Christianorum ibi commorantium confessiones audire, & à peccatis, atque censuris absolvere possint.

DE POTESTATE IN CENSURAM reservatam ob violationem Clausuræ.

§. 382. Clausura violatur per ingressum mulierum, aut virorum in Monasteria Monialium, vel mulierum in Monasteria virorum, & per egressum Monialium à suis Monasteriis.

QUOAD INGRESSUM,

§. 383. Tres sunt censuræ, videlicet excommunicationes latæ sententiæ in jure fulminatæ.

Prima est Conc. Trid. sess. 25. de Regul. & Monialibus, cap. 5. contra viros, & mulieres cujusvis conditionis, sine Superioris licentia in scriptis, ingredientiæ Monasteria Monialium.

§. 384. Secunda est Greg. XIII. per Bullam 28. Ubi gratia, 24. Junii 1575.

§. 385. Tertia est lata à Clem. VIII. per Decretum de anno 1602. relatum num. 3472. contra violantes clausuram Monialium ad malum finem. Et de hac non debet esse sermo; quia cum sit reservata Rom. Pontifici extra Urbem, & intra Italiam, cum exclusione Privilegiorum, certum est, Confessarios

Regulares extra Urbem, & intra Italiam non posse ab ea Sæculares absolvere.

Pelliz. de Monialibus, cap. 5. num. 20. docet, hanc censuram, & reservationem Clem. VIII. non officere Moniales, sed solum ipsos ingredientiæ ad malum finem; quia in ea Monialis se habet passivè, & ponitur ut terminus, minime ut subiectum.

§. 386. Prima igitur censura Tridentini incurritur, etiam si ingressus non sit ad malum finem, nec prætextu licentiarum, sed nulli est reservata; unde potest absolvi à quolibet simplici Confessario, qui tamen reperitur ad Monialium confessiones excipiendas deputatus, quod semper in hac re est supponendum ex Bulla Clem. X. num. 3292.

§. 387. Secunda censura Greg. XIII. incurritur, etiam si ingressus non sit ad malum finem, & ab omnibus mulieribus cujusvis conditionis, & ætatis, utum rationis habentibus, ingredientibus, Monasteria virorum, & ab omnibus viris, & mulieribus cujusvis conditionis, ingredientibus Monasteria Monialium. Item à Superioribus utriusque sexus, & pariter à custodibus clausuræ, ut sunt portinariæ, & rotariæ admittentes, aut permitteutes ingressum sub prætextu licentiarum Sedis Apostolicæ, Legatorum, aut aliorum Prælatorum.

Item à singulis Religiosis, & Monialibus, tam Superioribus, quam privatis, qui illos presumunt admittere, sub prætextu licentiarum ipsorum Ordinariorum.

§. 388. Hinc Superiores, & Custodes clausuræ, incurunt, si positive, si negative concurrant, nimirum tam admittendo, quam permitiendo, & non impediendo, cum possent. Personæ verò private incurunt solum, si positive concurrant admittendo, nisi veniant nomine *Conventus*; tunc autem veniunt nomine *Conventus*, quando omnes congregati in unum cum Superiore consentiunt in ingressum, & tunc incurunt, etiam si negative concurrant permitiendo ingressum.

§. 389. Talis adest etiam excommunicatio reservata Romano Pontifici lata à Pio V. per Bullam 20. 24. Octob. 1566. quæ incipit: *Regularium personarum*, contra mulieres ingredi audentes Monasteria virorum sub prætextu licentiarum.

§. 390. Insuper adest etiam excommunicatio reservata Romano Pontifici lata à Pio V. per Bullam 20. 24. Octob. 1566. quæ incipit: *Regularium personarum*, contra mulieres ingredi audentes Monasteria virorum sub prætextu licentiarum.

§. 391. Deinde Pius V. per aliam Bullam declaratoriam præcedentis die 16. Julii 1570. quæ incipit: *Decret Romanum Pontificem*, declarat, in præfata Bulla fuisse suæ intentionis comprehendere mulieres ingredientiæ Monasteria virorum, etiam sine prætextu licentiarum.

§. 392. Ex quibus Bullis Gregor. & Pii plura resolvuntur. Primò: Excommunicatio est reservata

Ro-

Romano Pontifici. Undè si est occulta potest absolvi ab Episcopo virtute Decret. Conc. Trid. sess. 24. de Reformat. cap. 6. minime si est publica, ut in num. 3314. Possè tamen absolvi à Confessariis Regularibus, etiam si sit publica, aut deducta ad forum contentiosum, in foro tantum intimo conscientie, docet. Donatus cum multis tom. 1. pag. 2. tract. 4. q. 33. & 34. Peyr. in Const. 6. Pii V. pag. 203. num. 41. Mem. Const. 6. Julii II. pag. 92. & tom. 1. de Subdito, pag. 174. quia dictæ Bullæ in reservatione non comprehendunt Privilegia Regularium. Et hic casus ingressus mulierum intra Monasteria virorum, & virorum, ac mulierum intra Monasteria Monialium, non comprehenditur in casibus 20. Bullæ Cœnæ, nec in sex Clem. VIII. in Decreto de anno 1620. quod Decretum est attendendum, quia est moderativum dispositionum præcedentium in oppositum, ut patet in num. 3471. & seq. Vide à num. 3459. ad 3465.

§. 393. Imò idem docet Donatus cit. q. 34. de ingressu mulierum in Monasteria virorum ad malum finem, videlicet ad explendam libidinem; ob eandem rationem, quia solus casus violationis clausuræ Monialium ad malum finem comprehenditur in sex casibus Clem. VIII.

§. 394. Secundo: Pœnam inhabilitatis, & privationis officiorum, fulminatam à Gregor. XIII. in §. 2. & à Pio V. una cum suspensione à Divinis in §. 4. non esse reservatam, ait Rodr. tom. 1. quest. 24. art. 17. nam ut constat legenti, reservatio est facta solum pro excommunicatione; unde includit, posse ab ea absolvere pro utroque foro, quoad suos subditos, Episcopos, & Prælatos Regulares. Ita Rodr.

§. 395. Tertio: Si sit sermo de ingressu mulierum intra Monasteria virorum, prædictæ omnes pœnæ incuruntur, etiam si ingressus fiat sine prætextu licentiarum, ut constat ex Bulla declaratoria Pii V. Decret. Romanum Pontificem, in num. 3491.

§. 396. Si autem sit sermo de ingressu virorum, aut mulierum intra Monasteria Monialium, non incuruntur pœnæ, nisi ingressus fiat sub prætextu licentiarum. Pelliz. de Monialibus, cap. 5. num. 92. cum multis; quia jura expressè apponunt: *Prætextu licentiarum*, ut constat legenti Bullam Greg. XIII. Ubi gratia, de num. 3484. quæ de tali ingressu disposuit.

Et declaratio Pii V. quod pœnæ incurrantur, etiam si ingressus fiat sine licentiarum prætextu, solum, & expressè loquitur de ingressu mulierum in Monasteria virorum. Hic faciunt rationes alie legales, de 2. tom. à num. 512. ad 515.

§. 397. Nec id sit tibi, cum Donato tom. 3. tract. 5. q. 2. num. 10. mirum; nam jura in tantum apponunt prætextum licentiarum; quia prætextus licentiarum erat causa molestiæ, & scandali; nam sub hoc prætextu mulieres prætendebant ingredi Monasteria virorum impunes, & sic majori cum facilitate, & audacia, non sic quæ sine licentia; vulgò dici-

tur, quod sit magis molestus, & timendus inimicus occultus, quam publicus.

§. 398. Cæterum Fillicius cum aliis apud Pelliz. cit. & Donatus tom. 3. tract. 5. q. 2. tenent, dictas pœnas incurri, etiam si ingressus fiat sine licentiarum prætextu; pro quo adducit stylum Curie. Stylus autem Curie facit legem, quando lex est obscura; minime, quando est clara, ut in casu. Unde stando in jure requiritur licentiarum prætextus.

§. 399. Idem confirmavit Paulus V. per Bullam 52. incip. *Facultatum*, 1. Sept. 1608. & per Bullam 74. *Monialium statui*, 10. Julii 1612. per quas Bullas, quoad ingressum mulierum in Monasteria Monialium Paulus V. omnino confirmat Bullam Gregor. XIII. Ubi gratia, relata num. 3484. & apponit licentiarum prætextum, ac proinde de hac Bulla Pauli V. est eodem modo discurrendum.

§. 400. Idem denique confirmavit Urbanus VIII. per Bullam 30. 27. Octobris 1624. ut sequitur:

Sacrosanctum, &c.

§. 1. Cum itaque plures licentiæ Monasteria Monialium ingrediendi diversis mulieribus secularibus, &c. à Nobis, & diversis Romanis Pontificibus, &c. concessæ fuerint, &c.

§. 2. Nos omnem dubitandi materiam, quæ super modo consensum hujusmodi præstandi forsitan oriri possit, è medio tollere volentes, &c. declaramus, consensum dictarum Monialium de cetero per easdem Moniales Capitulariter, & per secreta suffragia præstandum esse, & præstari debere; aliis licentiæ hujusmodi mulieribus, quibus concessæ fuerunt, nullatenus suffragentur.

§. 3. Et quæ Sanctimonialium Monasteria vigore licentiarum prædictarum absque consensu Capitulariter, ut præfertur, præstito, ingredi præsumperint, sententiis, censuris, & pœnis contra clausuras Monasteriorum Monialium violantes inflictas, se noverint incursumas.

Quid Clarius?

§. 501. De ingressu Confessarii dictum est à num. 1453. Vide num. 1419. A Regularibus attendenda est Bulla Alex. VII. 19. Octob. 1664. quæ disponit super ingressu Superiorum, & Confessariorum, atque super commemoratione Confessariorum prope Monasteria Bulla est, ut sequitur:

§. 502. Felici Sacrarum Virginum statui, &c. Præsentibus perpetuò valituris sancimus, ut in posterum intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuscumque aliis Superioribus Regularibus, quibus alicujus cura, & regimen Monasteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit, intra septa eorundem Monasteriorum nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa visitationis localis; & hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior à visitatione hujusmodi se omnino abtineat. Quòd si ob clausuram, quæ à Sancta Tridantina Synodo, etiam

in

in Monasteriis exemptis, curæ, & vigilantia Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Superiorem Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum præsentia Episcopi Diocesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ secularis boni exempli, ac maturæ ætatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatæ. Visitet autem Superior Regularis interiorem clausuram per se ipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus; quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum; & visitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia, absolvat, nec ante ortum Solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse Visitator, neque ejus Socii ullam fumant in Monasterio refectionem. Porro si visitet Generalis, possit secum habere duos Socios sui Ordinis; si alius à Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem Socii assumantur exemplares, & maturæ ætatis, & in actu visitationis à Visitatore nunquam separantur, sed eum aspicere, & ab ipso alpsici semper possint. Ac præterea Visitatori assintant quatuor Moniales ex Superioribus Monasterii, quæ similiter, visitatione durante, nunquam separantur à Visitatore, & Sociis. Reliquæ verò Moniales, & quæcumque aliæ mulieres, & puellæ sæculares in Monasterio degentes, nisi legitime detineantur impedimento, conveniant omnes in Choro, antequam Visitator ingrediatur interiorem clausuram, & in eo permanent durante visitatione, & quousque idem Visitator cum Sociis à Monasterio exierit. Ideoque curet Visitator, ut tempestivè admonetur Abbatissa, seu Monasterii Præfecta de præstituta die, & hora visitationis; Visitatio verò personalis fiat ad crates, & omninò extra clausuram Monasterii, & per ipsummet Superiorem dumtaxat, ut supradictum est de visitatione interioris clausuræ. Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius minimè ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extræ-Unionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis, ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, & ab ipso videri semper possit. Insuper districte præcipimus memoratis Superioribus Regularibus, ut infra terminum duorum mensium à publicatione præsentis Constitutionis computandum, revocent ad clausura Confessores, eorumque Socios, Concionatores, & alios quoscumque Regulares apud Monasteria Sanctimonialium, vel assidue, vel ad tempus quocumque titulo pernoscere solitos: Neve permittant eosdem, seu alios Regulares, intra, seu propè septa Monasteriorum hujusmodi habitare, vel commorari, quin etiam infra eundem

terminum quascumque Cellas, Mansiones, seu Cubicula propè Monasteria prædicta ad usum memoratorum Regularium existentia, si clausuræ Monasteriorum earundem Monialium contigua sint, eidem clausuræ includi, vel dirui omnino faciant; si verò sint extra septa, vendi, pretiumque in Monasterii utilitatem converti, nec in posterum alia similia aptari, ædificari, aut emi permittant. Quod si infra dictum terminum Superiores Regulares præmissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, illa adimplere, & omniò exequi, etiam invocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio. Verumtamen si Monasterium Regularium virorum, quibus Moniales sunt subjectæ, sit intra dicta mœnia, vel è converso, habeantur, vel conducantur, commodè fieri possit, mansiones ad usum Confessoris, quæ non sint conjunctæ, seu contiguae ipsi Monasterio Monialium, sed ab eo penitus disjunctæ, non solum per parietes, sed etiam per tecta: sin autem utrumque Monasterium sit intra mœnia, & unum ab altero, Episcopi judicio, multum distans, tunc habeantur, vel conducantur hujusmodi mansiones, ut supra, distinctæ, & separatæ à Monasterio Monialium in distantia ab ipso Episcopo recognoscenda, & approbata; ita tamen, ut mansionibus Confessoris, sive intra, sive extra mœnia constitutis, excepto ipso Confessore cum suo Socio, alii Regulares, etiamsi Superiores sint, minimè pernoscant. Si quis vero prædictorum Regularium aliquid contra præsentium tenorem facere, vel moliri præsumperit, aut adimplere neglexerit, ipso facto penam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuè inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis Privilegiis, & exemptionibus tueri se possit, quominus ab Episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat.

3503. In meo Ordine Minorum de Observantia extat statutum Cap. Gen. de anno 1664. (quod in comitatu Superiorum, quocumque de causa ingrediuntur, semper sit Vicarius, seu Confessarius Monialium, sub penis in eisdem statutis contentis.) Unde in ingressu Provincialis Socius debet esse Confessarius Monasterii, debet esse enim unus.

QUOAD EGRESSUM,

3504. **D**AT regulam, & prohibitionem Bonifacius VIII. in cap. unico de Statu Regularium in 6. apud Donatum tom. 3. tr. 3. quæst. 2. num. 18. & tr. 4. q. 15.

3505. Periculoso, & detestabili quarundam Monialium statui, quæ honestatis laxatis habentis, & Monachali modestia, sexusque verecundia impudenter abjectis, extra sua Monasteria nonnunquam per habitacula sæcularium personarum discurrent, &c. præ-

præsenti constitutione, &c. Sancimus, universas, & singulas Moniales, præsentis, atque futuras, &c. sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere clausura, ita quod nulli earum, &c. valeat quacumque ratione, vel causa, nisi fortè tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non possit cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari, Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas.)

3506. Insuper concedit textus, quod si Abbatissa, seu Priorissa teneatur præstare homagium, vel fidelitatis juramentum ab aliquo feudum, quod Monasterium habet ab aliquo Principe, seu Domino temporali, tunc, si non valeat illud præstare per Procuratorem, possit exire de Monasterio cum honesta, & decenti societate, & homagium, seu juramentum fidelitatis Principi præstare, & eo præstito, teneatur ad Monasterium & vestigio reverti.

3507. Eandem Const. Bonifacii VIII. de cap. periculoso, expressè approbavit Cone. Trid. sess. 25. de Regularibus, cap. 5. & confirmavit Pius V. per Bullam 8. Circa Passionalis 29. Maii 1566.

3508. Insuper idem Pius V. 8. Feb. 1570. per aliam Bullam, priorem declaravit, ut sequitur:

Decori, & honestati omnium Sanctimonialium, &c.

§. 1. Sanè periculo, & scandalo plena res est, &c. Sanctimonialia aliquando parentes, fratres, & sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, necnon Monasteria, & alia filiationis nuncupata, etiam eis subjecta visitandi, aut infirmitatis causa, aliove prætextu à Monasteriis exire, & per sæcularium personarum domus discurre, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, & pudicitia deus in discrimen committunt.

§. 2. Unde nos malo huic, &c. salubriter occurrere volentes, in hærentes etiam Decreto S. Cone. Trident. &c. ac aliis nostris litteris, &c. volumus, sancimus, & ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarum Monialium, &c. etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subsectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliavè occasione, & prætextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemix, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit, à Monasteriis præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare licere.

Aliiter autem, quam ut præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive Laicas, aut Sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis

majoris lætæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subjacere, à quo præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant.

Et insuper, tam egressas, quam Præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, administrationibus per eas, & eos tunc obtentis privamus, & illas, & illos ad obtenta, & alia impofterum obtinenda inhabiles.

3509. Nominè epidemix venit pestis. Pelliz. cap. 5. num. 32. Vide à num. 1515. Per receptatrices, & comitantes intelliguntur personæ aliæ, quæ suo comitatu, aut receptione cooperantur egressui Monialium, aut sunt causa ne redeant ad Monasterium; minimè illæ, quæ urbanitatis, amicitix, aut consanguinitatis præcisè causa Moniale illicitè egressam recipiunt, aut comitantur. Pelliz. de Monialibus, cap. 5. num. 26.

3510. Pius ergo V. apponit excommunicationem reservatam Romano Pontifici, & penam inhabilitatis, & privationis officiorum non reservatam; undè de hac discurre ut in num. 3494.

Quantum ad excommunicationem,

3511. Dico, ab ea absolvere posse Episcopum, si sit occulta, ut in num. 3492.

DIFFICULTAS EST, SI SIT PUBLICA,

IN qua re Pelliz. de Monialibus, cap. 5. num. 28. & cap. 9. num. 26. affirmat; quia Moniales sunt perpetuo impeditæ, & si pro abolitione deberent adire Papam, cogentur ad impossibile; cum teneantur ad perpetuam clausuram: at impossibilitatem non est obligatio.

3512. Respondeo, non posse Episcopum ab hac excommunicatione, si sit publica, absolvere. Donatus tom. 3. tract. 4. quæst. 3. Ratio, quæ me movet est; quia Pius V. quando hanc censuram contra Moniales fulminavit, & eam soli Romano Pontifici reservavit, omnem alium pro abolitione excludendo, jam sciebat, Moniales esse impeditas perpetua clausura, ad quam ex juribus antiquioribus tenebantur; si igitur, hoc non obstante, tali rigore reservationis contra Moniales vult, argumentum evidens est (ni dicere velimus Pium V. voluisse edere legem deridendam) quod Summus Pontifex velit, occurrente casu egressione, Moniales pro abolitione adire Romanum Pontificem, non quidem personaliter, quod est impossibile, & præter intentum Summi Pastoris, sed per Litteras, Nuncium, aut Procuratorem; quod omnino vult, quia vult in tali casu esse consultum, requisitum, & certioratum, ut possit una cum abolitione, & medicina, debita pena, & correctioe ab hujusmodi excessu Moniales coercere.

3513. Ratio autem perpetui impedimenti fivert Monialibus, ut possint ab Episcopo absolvi juxta dicta superius, solum in aliis casibus, in quibus ab-